



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stephani Thevpoli Bened. F. Patric. Veneti,  
Academicarum Contemplationum Lib. X**

**Piccolomini, Francesco**

**[Basel], 1590**

**VD16 ZV 12463**

Quomodo in Me[n]te sint principia rerum. Cap. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12918**

mundo intelligibili. Demum nomen motus longè secùs apud Platonem vsurpatur, quàm apud Arist. Plato enim omnem ab aliquo processionem, motum appellat; Aristot. verò solum actum imperfectum. Cùm itaque ex his vocibus lis præsertim oriri videatur; attamen etiam, si sententiam intimiùs consideramus, omnino cõuenire non iudicabimus: quoniam Arist. minimè concederet hæc in anima, & in mente posse reperiri: insuper minimè diceret ea esse primos essendi modos: sed potiùs id tribueret actui, & potentiæ.

*Quomodo in mente sint principia rerum.*

## CAP. IV.

**E**ste absolutè simplex, ei soli conuenit, quod absolutè est primum, & indepèdens: propterea solus Deus absolutè simplex est; cætera omnia sunt composita, & modo sibi consentaneo vnione prædita: nam mundus intelligibilis modo intelligibili, rationalis modo rationali, sensibilis verò modo sensibili compositus est: ad eò, vt omnia, conditione sibi conueniente, sint in omnibus. Vnio, & compositio consurgit cū ex principiis, tum ex generibus: præsertim tamen ex principiis vnio, ex generibus compositio prodit, ordiens à principiis: vt ab vnitæte proximè pendet binarius: ita ab ipso vno fluūt proximè infinitum, & terminus: quæ sunt, binarius primus primi numeri rerum. Hæc duo, vt rectè Plotinus existimauit, nunquam



inueniuntur à compositione aliqua, & præsertim à prima, quæ primæ menti conuenit, separata: sed solùm ratione, & forma distinguuntur. Infinitum in prima mente est essentia, vt formabilis, & terminabilis: terminus verò eius est prima, vniuersalisque eius forma: in quibus tertio consideratur participatio vnius, & totum; quod totum, ita in ea est totum, vt modo aliquo in quavis parte sit totum. Insuper essentia, vt pendens ab vno, modo quodam est non vnum; atque vnum, vt est non vnum, sortitur infinitatem; vt est vnum, sortitur terminum. Infinitas præsertim versatur circa vitam; terminus, circa intellectum, vel intelligibilia. Demum in hoc primo ente alia consideratione reperitur infinitum, & terminus: non quidem respiciendo ad entis conditiones, sed ad conditiones intelligibilium, siue Idearum, ad quas pertinet numerus. Nā multiplicabilis natura, & quasi vlteriùs progressura conditio, ideis cōuenit, per quam infinitum eis tribuitur: quibus mox conuenit finitum, siue terminus; quatenus absolutè certus est idearum numerus, inter se formaliter differentium; finitæque sunt species rerum Diuinarum, & sensibilibium. Insuper infinitum conuenit Ideis, quatenus vnaquæque Idea ad innumera indiuidua refertur, variis illam modis, temporibus, locisque participatura; cui Idæ insimul conuenit terminus, quatenus quilibet est vna certa forma.

Quo.